



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom. 1. v. 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-
cinum Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponendi
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.

De libro Scripturæ,
SECUNDA DISPVTATIO.
EX PSALMO XIX. IN QVA
 DE SCRIPTURAE SACRAE NATVRA,
 proprietatibus, effectis, ac proinde de
 Dei Mediatoris cognitione
 salutari differitur;

A

MARCO BEVMLERO TIGV-
rino confecta, ut de eâ publica συζητησις
in Schola Tigurina in-
stituatur:

Respondente,

JO. RHODOLPHO STEINBRUCKELIO
 Tigurino, Theologiae studioso.
 Ad xv. Mart.



TIGVRI,
APVD IOHANNEM VVOLPHIVM.
 M. D. XCVII.



De Libros
SECUNDA DISTINCTIONE
TIO. EX TRACTATU XIX. IN Q
DE SCRIP
Proprietate
Distinctione
liber

ARTICO BENEFICENTIA
in Schola
Respondent

JO. THODORNO STEINBRUNNEN
Tiguriensis
A. M. D. C. V. Martii

TIGURI
ATVD JOHANNES M. V. DE P. H. V. M.
M. D. C. V. Martii



AMPLISSIMIS VIRIS,

D. HENRICO BRAEMIO, REIPUBLICAE

Tigurinæ Proconsuli atq; Signifero: & D. Iohan.

Rhodolpho Rhonio ejusdem Reipublicæ

Archicœonomo ac Senatori; Dominis

meis summè semperq; colendis

S. P. D.

GVM nuper admodum ex Academijs exteris in patriam redirem, Amplissimi viri, Clariss. vir D. Marcus Beumlerus, pro tempore Scholarcha, mihi author extitit, ut præsentis, quam tum in manibus habebat, Disputationis defensionem in Schola nostra Theologica susciperem. Quod honestum & hac tempestate Theologiæ studiosis summe necessarium exercitium detrectare aut subterfugere, nec potui nec debui. Quanto enim conatu, quam Sophisticis argutiis cum Pontificii, tum alii veritatis hostes lucem Evangelii obscurare tentent: nemo est quem lateat, si modò eorum scholas aut scripta inspiciat. Ne igitur nos aut veritatem prodere, aut in ejus patrocinio frigere videamur: operæ pretium omnino est, ut nos, more & exemplo omnium Scholarum rectè informatarum, hisce exercitiis, quibus veritatis tuendæ ratio, ac sophismatum expugnandorum modus addiscitur exerceamus, acuamus, excolamus. Quæ causa est, cur & Respondentis munere in hac disputatione defungi animum induxerim, eamq; in lucem aspectumque hominum producendam curarim. Nil mihi quandoquidem tantæ curæ est, quàm ut aliquando, Dei gratia prælucente, ora Sophistarum obstruere possim. Vobis a. V. A. visum est hæc propositiones veteribus familiæ meæ amicis offerre, idq; quò hoc munusculo testarer, & quanti vos faciam, & quam jucunda mihi sit paternæ vobiscum consuetudinis recordatio. Faxit Deus Opt. Max. ut quo animo hoc a me prodiit, eodem a vobis excipiat, & ut, quemadmodum meis, sic & mihi vestra humanitate multùm diuq; frui liceat. Datæ 2. Calend. Martii.

Iohan. Rhodolphus Steinbruchel.

B 2

DE COGNITIONE DEI MEDIATORIS EX LIBRO SCRIPTURAE.

HACTENVS propheta, de Dei Creatoris & Moderato-
ris hujusce universi cognitione, ex libro natura dis-
seruit: succedit nunc, de Dei Servatoris seu Media-
toris cognitione, ex libro scriptura disputatio.

II. Quae cognitio superiori multum longeque praestat: cum illa
sit evanida & imperfecta, eo tantum spectans, ne Deus etiam a-
pud profanos relinquatur ἀμαρτυρῶ, & ut homo fiat ἀναπολό-
γη. & haec verò duret, perfecta sit, ac ad salutem potiundam ad-
jumentum adferat.

III. Liber autem hic duobus voluminibus explicatur & di-
stinguitur. Quorum prius ejus naturam, propria adjuncta & ef-
fecta sex paginis, quarum singulae, singula axiomata complectun-
tur, explanat: ut deinceps videbimus.

IV. Pagina prima est priorae parte versiculi 8. continens hoc
axioma: Lex Iehovæ est perfecta, restituens animam.

V. Lex primùm ac propriè doctrinam istam, quam Deus o-
pera ministerioque, Mosis populo Israëlitico patefecit, significat:
Ioh. 3. v. 17 ut in isto: Lex ista per Moſen data est. Per synecdochen spe-
ciei quamlibet eius Legis partem denotat. ut in isto: Per legem
Ro. v. 20. agnitio peccati. Item: Lex umbram obtinens. Ibi pro
He. 10. v. 1. morali, hic pro ceremoniali accipitur. Per synecdochen generis
Pſal. 1. v. 2. pro omni doctrina divina & caelesti sumitur, ut in isto: In lege
Iehovæ deliciae ipsius. Denique κατ' ἔξοχῶν, voce hac do-
Iesa 2. v. 3. ctina Evangelica insignitur: ut hoc ipso loco: et istis: De Tziō-
Ierem. 31. ne prodit lex, & verbum Iehovæ Ieruschalaimis. Item:
v. 33. Dabo legem meam in medio eorum. Hanc Apostolus le-
Ro. 3. v. 27. gem fidei vocat, ac legi operam opponit. Lex fidei, quia fidem
praecipit, ac operatur ut organum. Quod

V I. Quòd verò additur, Iehovæ, ad causam huius legis efficiendam principem exprimendam facit: quæ est non homo mortalis, sed Deus æternus, non labi & errare potis, sed summè sapiens & ἀναμάρτυτος. Hinc lex illa θεόπνευτος, a Deo inspirata dicitur. Et hac lege imbuti & edocti θεοδιδασκτοι, a Deo docti vocantur. 2. Tim. 3.
v. 16
Ioh. 6.
v. 45.

V II. Est itaq; hæc lex αὐτόματος & ἡγὰ ἀξίωμας, utpote quæ Deum solum veracem autorem habeat. Huic soli in negotio salutis standum: nec ipsi ulla hominum doctrina adæquanda: licet Concilium Tridentinum statuatur: Traditiones Patrum eodem pietatis affectu, quo sacras literas, recipiendas & observandas esse.

V III. De lege Iehovæ prædicatur: Perfecta, restituens animam.

I X. Perfecta est cùm respectu superioris cognitionis maneat, evanida & imperfecta, tum sui, utpote continentis omnia plenè perfectèq;, quæ ad Dei Servatoris & naturam & voluntatem cognoscendam faciunt, scituq; ad salutem necessaria sunt.

X. Hinc illud Apostoli: Tota scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, &c. ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus. 2. Tim. 3.
v. 16. 17

X I. Faceat igitur rancida illa traditionum humanarum præsertim cum sacra scriptura bis per omnia pugnantium sutela ac in Ecclesia Dei prorsus conticescat, ubi de religionis negotio mentio incidit. Ad legem & ad testimonium: si non dixerint juxta verbum hoc: quia non est eis aurora. Ies 8 v. 20

X II. Legi porrò huic tribuitur hic effectus: Reducit animam.

X III. Anima potissimùm fuit ab initio ad imaginem Dei condita, quæ in intellectus perfectione ac voluntatis bonitate luxit. A qua utrâque dote anima, lapsa homine, excidit: adeo ut intellectus in tenebras converteretur, ac voluntas bona deprava-

Eph. 5. v. 8
Eph. 4.
v. 22. *retur, juxta illa: Eratis olim tenebræ. Item: Vetus homo
deceptricibus cupiditatibus corrumpitur.*

XIV. *Lex itaque fidei, de qua hîc concionatur Propheta,
animam a Deo ejusq, salutari cognitione & obsequio a versam
revertere facit, ac in integrum restituit, intellectum ejus illu-
strans ac renovans, voluntatem verò corrigens, ac voluntati
divinæ conformem reddens.*

Ioh. 3. v. 5
I. Pet. 1.
v. 23.
2. Cor. 3
XV. *Evangelium namq, est Spiritus ille & aqua, quâ
renascimur ad regnum Dei. Item: semen illud ἀφθαρτον,
quo regeniti sumus: Item: ministerium illud Spiritus ac
justitiæ, quo in eandem imaginem ex gloria in gloriam
transformamur, veluti a Domini Spiritu.*

XVI. *Sequitur altera pagina posteriori parte v. 8. Testi-
monium Iehovæ veritas, sapientes faciens parvulos.*

XVII. *Voci תורה Thorah, utpote generali subjungit vocem
עדות Hheduth specialiolem: quâ formam doctrinæ Evangelicæ
ut cunq, adumbrat. Vox enim hæc inclinata est a עד Hhid quod
inter alia aliquid condicere seu promittere, & testificari, interce-
dente juramenti religione & signo addito, significat. Quæ omnia
ad Evangelicæ doctrinæ formam ac naturam exprimendâ apta
sunt: ut deinceps videbimus.*

XVIII. *Illa namq, est primò testimonium Dei Patris, de
nobis in Christo salvandis: ut patet ex hisce: Hoc est testimo-
nium Dei, quod testificatus est de Filio suo, &c. Qui cre-
dit in filium Dei, testimonium habet in seipso, &c. Est
autem hoc testimonium, quod vitam æternam dedit no-
bis Deus: & hæc vita est in Filio ipsius: Item: Scrutamini
Ioh. 5. v. 9
10. 11
Ioh. 5. v.
40. *Scripturas, &c. Et illæ sunt, quæ testificantur de me.**

Ioh. 5.
v. 9. XIX. *Hoc autem eò facit, ut libro huic Scripturæ soli abs-
que omni tergi versatione atque dubio, utpote Dei veracis testi-
monio, fidem adjungamus: Si enim hominum testimonium
accipimus: testimonium Dei majus est.*

XX. *Dein.*

XX. Deinde hæc eadem doctrina est solennis augustaq; gratia Dei Patris in Filio promissio. Hinc illud: Quotquot sunt promissiones Dei, in Christo Iesu sunt Etiam, & in ipso sunt Amen. Et alio in loco: Evangelii doctrina vocatur promissio Iudæis & gentibus communis. Et hanc promissionem amplectentes fide filii promissionis & hæredes dicuntur.

2. Cor. 1.

v. 20.

Act. 2. v. 39

Gal. 3. v. 21

Ro. 9. vv. 8

Gal. 3. v. 2.

XXI. Hinc verò colligitur gratiam in Evangelio oblatam ita generalem esse, ut ad solos electos, fideles & Evangelio obsequentes propriè ac re ipsa pertineat: cum promissio fide, tanquam suum correlatum, respiciat. unde illud Apostoli: Conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio daretur, ex fide Iesu Christi, credentibus.

Gal. 3. v. 22

XXII. Quare promissio Evangelica non concipitur nisi adjecta voce fidei propriè accepta, vel mentione facta fructuum fidei, quibus fides ipsa metonymicè intelligitur, cui thesi fidem faciunt hæc & alia penè infinita: Qui credit in filium habet vitam æternam. Item: Quisquis credit in eum non confundet. Item: Qui facit quod vult Pater, qui in cœlis est, introibit in regnum cœlorum. Item: Quicumq; invocaverit nomen Domini, servabitur.

Ioh. 3. v. 36

Rom. 10.

v. 11.

Matt. 7.

v. 21.

Act. 2. v. 21

XXIII. Tantùm verò abest, ut incredulis ac respiscere nesciis, quicquam in Evangelio promittatur, ut potiùs æterna condemnatio eis denunciatur. ut hinc patet: Qui non credit, iam condemnatus est. Item: Nullus scortator aut impurus, &c. habet hereditatem in regno Christi.

Io. 3. v. 18.

Eph. 5. v. 5

XXIV. Hoc verò testimonium & promissio gratuita sancta sunt solenni Dei testificantis et promittentis juramento. Quod multis docens Apostolus scribit: Deus pollicitus Abrahamo, &c. juravit per seipsum, Dicens, certò benedicam tibi, &c.

Heb. 6.

v. 13. 14

XXV. Sed causam cum *αεγοπακαρτικω*, cum finalè A-

Heb. 6.
v. 17. 18.

postolus declarat; scribens: Deus volens ex abundantia hæ-
reditatis promissionis ostēdere τὸ ἀμετάθετον consilij sui
fidei iuravit iurejurando: ut per duas res immutabiles, in
quibus fieri nō potest ut Deus mentiatur, validam con-
solationem habeamus.

XXVI. Ergo iurisjurandi illius causa procatartica se-
queratur, est ea voluntas Dei, hac ratione consilij sui æterni certi-
tudinem demonstrantis: Si finalis, est ea, ut consolatio nostra dua-
bus rebus minimè fallacibus, nempe verbo promissionis & iura-
mento suffulciatur.

XXVII. Ad hoc iusjurandum accedunt quoq; signa exter-
na & in oculos incurrentia, quæ vulgò Sacramenta in Ecclesia
Ro. 4. v. 11 vocantur, & a Paulo signa sigillaq; justitiæ fidei definiun-
tur.

XXVIII. Hæc in veteri populo fuerunt Circumcisio præ-
putij, Agnusq; paschalis: in novo Baptismus, qui Circumcisioni:
& Cæna Dominica, quæ Agnō paschali successit.

XXIX. Illa Christum Filium Dei in carnem venturum
nosq; sua morte a peccatorū sordibus purgandos, Deo reconcilia-
turum prænunciabant. unde in Christo exhibitō, mortuo & resu-
scitato impleta ac abrogata fuerunt. Hæc verò Christū venisse,
ac salutis negotium plenè confecisse testificantur: unde usq; ad fi-
nem mundi in Ecclesia conservanda & usurpanda sunt.

XXX. Sacramenta itaq; utriusq; populi ratione substantiæ
& rei significatæ conveniunt: quæ utriusq; Christus est. Modo
tantum significandi differunt: cum illa Christum venturū quasi
e longinquo præmonstrarint: hæc verò eundem jam exhibitum de-
monstrent. Nobile est illud Augustini: Sacramenta illa fue-
runt: in signis diversa sunt: in re, quæ significatur paria
sunt. Item: In illis sacrificijs prænunciabatur Filius Dei,
pro impijs occidendus; In hoc autem annunciat pro
impijs occisus.

In Iohan.
Tom. 26.

Ad Petr.
cap. 19.

Haudquaquam

XXXI. Haudquaquam igitur in Ecclesia ferendum illud veterum & novorum Sacramentorum discrimen, nuper ab ubi-
quitarijs confictum, quasi illa merè significatiua, hæc verò ita ex-
hibitiua sint, vt in ipsis tanquam latibulis res cælestes contine-
antur.

XXXII. De hoc porrò testimonio prædicatur: Verum.
Quod aliis in locis ipsi vt proprium quodammodo vendicatur.
Sic enim Psaltes: Omnia præcepta tua Veritas. Item: Ca-
put verbi tui est Veritas. Et ipsa Veritas: Sermo tuus est
Veritas.

Psa. 119. v.
151. 160.
Ioh. 17.
v. 17.

XXXIII. Testimonium hoc dicitur Verum seu Veritas:
aut per metonymiam causæ, quia a Veritate, hoc est, a Deo auto-
re est: aut per metonymiam effecti: quia Veritatem ejusq; saluta-
rem cognitionem docet: aut per metonymiam adjuncti: quia non
modò Verum, sed etiam ipsa Veritas dici optimo jure meretur.

XXXIII. Cæterum hoc adjuncto, signorum Sacramenta-
lium, quæ nomine testimonij hoc loco potissimum innuuntur, pri-
mus ac præcipuus usus seu officium significatur, quod in confirma-
tione seu obsignatione promissionis Evangelicæ cernitur. ut enim
sigilla tabulis Testamenti appensa Testamento fidem faciunt,
ac de hereditate, suo tempore plenè adeunda, dubitare hæredem
non sinunt: Sic Sacramenta promissioni gratiæ addita eam obfi-
gnant, confirmant, omnemq; credenti de ejus certitudine am-
bigendi occasionem eximunt. unde Apostolo ea sigilla justitiæ
fidei vocare placuit. Ro. 4. v. 11

XXXV. Quæ una causæ est, cur Sacramenta seu signa ex-
terna nomine rei significatæ insigniantur: utpote Circuncisio præ-
putij, nomine fæderis, Agnus nomine paschatis, Baptismus, no-
mine ablutionis peccatorum, Panis cænæ corporis, & vinum no-
mine sanguinis Christi.

XXXVI. unde nobile illud Theodoret: Dominus vo-

Dialog. 2.

B

luit, divina mysteria percipientes non attendere naturę
aspectabilium, sed per mutationē nominū credere mu-
tationi ex gratia factę. *Et max:* Visibilia symbola appel-
latione corporis & sanguinis honoravit: non naturā
eorum mutatā: sed naturę gratiā additā. *Item illud Au-*
Super Le- gustini: Solet res, quę significat ejus rei nomine, quam
vii. qu. 57. significat nuncupari: &c. Hinc est quod dictum est: Pe-
1. Cor. 10. tra erat Christus. Non enim dixit: Petra significat Chri-
v. 4. stum: Sed tanquam hoc esset, quod utiq; per substan-
tiam non erat, sed per significationem.

XXXVII. *De hoc eodsm testimonio prædicatur tale effe-*
Etum. Sapientiam afferens parvulo:

XXXVIII. *Ad effectum istud quod attinet, primū in ge-*
2. Tim. 3. *v. 15.* *nere omni doctrinę Evangelicę commune est: juxta illud: Sa-*
cras litteras nosti, quę te possunt sapientem reddere ad
salutem.

XXXIX. *Hęc verō sapientia non est ista sicut a philo-*
sophia, qua olim turgebant Ethnicorum sapientes, & quam eti-
am num hodie filii hujus seculi affectantur: Sed solida ista, divi-
na, & salutaris, ac omnem captum rationis humanę superans: de
1. Cor. 2. v. *6. 7. 8.* *& 10.* qua Apostolus: Sapientiam loquimur inter adultos: sa-
pientiam autem non hujus seculi, neq; principum hu-
jus seculi, qui abolentur. Sed loquimur sapientiam Dei
in mysterio, occultam illam, quam præfuerat Deus an-
te secula ad gloriam nostram. Quam nemo principum
hujus seculi cognovit. Nam si cognovissent nequaquā
Dominum glorię crucifixissent, &c. Nobis, a, Deus re-
texit per spiritum. Spiritus enim omnia scrutatur.

XL. *In specie. a. & uer' ἑοχλω hic effectus tribuitur Sa-*
eramentis: quę doctrinam Evangelicam mirum in modum illu-
strant, ac oculos quasi visenda objiciunt. unde in scripturis signa
&

& memorialia: ab Orthodoxis Doctoribus typi, antitypi, figura passim vocitantur.

XL I. Et hæc est altera causa, cur nomina archetyporum Sacramentis in Scripturis tribuantur. Quod pulcherrimè docet Augustinus: Si Sacramenta similitudinem quandam earum rerum non haberent, quarum Sacramenta sunt, omnino Sacramenta non essent. Ex hac. a. similitudine, plerunq; rerum ipsarum nomina sortiuntur. Ad Bonif. epist. 23.

XL II. Sed & subjectum recipiens istius sapientiæ exprimitur voce *Παιδι παρβυλι*: quæ in scripturis inter cætera significat simplicitate puerili præditum, ac proinde ad credendum promptum, persuasumq; facilem. Quem Christus in Evangelio *ἡπιοῦν* vocans opponit *σοφοῖς καὶ σινοῦτοῖς*. Matth. xxv. v. 25.

XL III. Itaq; Evangelica doctrina eos demum salutari sapientia imbuit, qui sibi suæ ignorantia ac ruditatis consciu culturae ipsius patientem commodant aurem; non verò eos, qui vana turgidaq; nescio cuius scientia opinione inflati, simplicitatem huius doctrinae respuunt ac fastidiunt. Quod idem Christus loco annotato docet: idq; a sola Dei *ἔνδοξία*, quæ prædestinatio est, pendere ac manare testatur. Matth. 11. v. 25.

XL IV. Ex quo fit, ut quorū animos doctrina Evangelica verā sapientiā instruit, vocentur oves Christi, ipsi a patre date, nec unquam ex manibus ejus eripiendæ: Item *κλητοὶ* & *σωζόμενοι* & *ἐκλεκτοὶ*, vocati, servandi, electi, quibus sermo de cruce est Dei sapientia & potentia. 1. Cor. 1. v. 18. 24. 27. Ioh. 10. v. 26. 27. 28.

XL V. Sequitur tertia pagina priore parte v. 9. Statuta Iehovæ recta exhilarantia cor. 29.

XL VI. *פְּקֻדִים* Pekudim, teste Kimhi, sunt præcepta a Deo in corde & intellectu constituta & posita.

XL VII. Quæ notatio doctrinae Evangelicae optimè quadrat. Nam ut lex etiam præceptum est, quod in litteris positum,

Jer. 31. v.
33. 34.

& in lapidibus informatum fuit: Sic contra Evangelium est præceptum, quod virtute spiritus animo cordiq; hominis inscribitur, atque ab eodem percipitur, servatur, custoditur: juxta oraculum: Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum describam eam, &c. Et omnes cognoscent me.

Psal. 119.
v. 128.

Natth. 11.
v. 25.

1. Cor. 1.
v. 21.

Luc. 4. v.
19

Psal. 119.
v. 105.

XLVIII. De his verò statutis prædicatur, Recta. Vox ישר וישרי Jasher, quod rectum esse, placere ac dirigere significat. Quæ significata omnia Evangelicæ doctrinæ conveniunt. Est enim illa plana, recta, simplex, nullis ambagibus implicata. Quod David his verbis testatur alio in loco: Omnia mandata tua omnino recta duxi: omnem semitam mendacii odi. Est deinde grata, chara & accepta cum Deo, tum electis ejus. unde hæc & alia: Aperuisti parvulis. Etiam pater: quia ita placuit tibi. Item: placuit Deo per stultam prædicationem servare credentes. Item: ut prædicem annum Domini acceptum. Deniq; dirigit nos viâ planâ, rectâ & aperta ad Christum, veram viam, per quem ad Patrem pervenimus. Hinc nobile illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum; & lumen semitæ meæ.

Rom 3.
Deut. 21.
v. 23.

2. Cor. 3.
v. 6 7 9.

Rom. 8.
v. 15.

XLIX. Huic adjuncto adiungitur talis effectus, Exhilarantia cor.

L. Lex Mosis est speculum limpidissimum, in quo sordes peccatorum cõspiciuntur: unde illud: per legem agnitio peccati. Eadem lex peccati pœnam, id est, maledictionem denunciat omni violanti eam. unde ministerium litteræ occidentis mortis & condemnationis vocatur. Et alio in loco dicitur: Lex iram operatur.

Rom. 8.
v. 15.

LI. Hinc non potest non acerbissima tristitia & tristissimus animi angor existere: quem nemo hominum unquam, præter Christum Θεου τοῦ ἁγίου ferendo fuit. unde lex spiritus servitutis ad metum vocatur.

As

LII. At Evangelium est laeta illa reconciliationis vox annuntians & promittens redemptionem a peccato peccatiq; poena ac justitiam aeternamq; benedictionem morte Christi parta. Hisce enim & similibus multis pleni sunt libri Evangelici. Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians, non impurans ei peccata. Item: Fecit eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in eo. Item: Sanguis Christi purgat nos ab omni peccato. Item: Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Item: Si peccaverit aliquis, advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c.

2 Cor. 5.
v. 19. & 21
1. Joh. 1.
v. 7.
Matth. 11.
v. 28
1. Joh. 2. v.
1. 2

LIII. Hinc non potest non terror iste ex lege obortus ex animo fidei pelli, ac ejus loco letitia incredibilis succedere. Unde angelus Domini praconium Evangelii exordiens, inquit: Ne time: Ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo. Et Apostolus describens Evangelium inquit: Non est regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax & gaudium per spiritum sanctum. Regnum Dei est Evangelium: quod hic per metonymiam effecti justitia, pax & gaudium dicitur, cum sit instrumentum Dei, quo ista bona nobis offeruntur, exhibentur, insinuantur. Quorum primus autor est spiritus ille letitiae & adoptionis. De quo praclare Apostolus idem: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Qui ipse spiritus testatur cum spiritu nostro, nos esse filios Dei.

Luc. 2. v.
10
Rom. 14.
Rom. 8.
v. 15. 16.

LIV. Sequitur 4. pagina posteriori parte v. 8. Praeceptum Iehovae purum illustrans oculos.

LV. Lex & Evangelium in eo conveniunt, quod utrumq; est mandatum seu praecceptum Iehovae: cum utrumq; mandet & precipiat de voluntate divina. Differunt autem cum subjecto, cum effectu.



Gal. 3. v.
10. & 12.

Marc. 1.
v. 15.

Marc. 16

Rom. 1.
v. 16

LVI. Nam lex præcipit omnibus & singulis perfectam, quæ sibi debetur, obedientiâ, eamq; præstantibus vitam, non præstantibus maledictionem denunciat: nec verò ullâ præstandi vim aut facultatem, vel promittit vel confert. Unde illud Apostoli: Lex non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, vivet in ipsis. Item: Quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt. Scriptum est enim: Execrabilis quisquis non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat, &c.

LVII. Evangelium contra præcipit omnibus, ut resipiscentes credant in Christum, credentibus vitam, incredulis æternam mortem denunciat: electisq; credendi facultatem in spiritu Christi pollicetur & subministrat. Quæ omnia hinc patent: Resipiscite & credite Evangelio. Item. qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur, qui verò non crediderit condemnabitur. Item: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, &c. Iustitia enim Dei per illud retegatur ex fide in fidem.

LVIII. Unde in textu de hoc Evangelico præcepto enunciat^{ur} Purû. Vox בָּרָא est a בָּרָא, quod inter cætera tergere et polire significat. Cùm ergo tersa & polita plerunq; splendebant, clara & perspicua sint: Septuaginta vocem בָּרָא Barah reddiderunt voce τηλαυγής: quæ propriè de corporibus lucem splendoremq; sursum longè lateq; spargentibus dicitur.

2. Cor. 4.
v. 6

Psal. 119.
v. 105.

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

2. Pet. 1.
v. 19

LIX. Hæc verò omnia doctrinæ Evangelicæ competere testis est David alio loco canens: Eloquia Iehovæ eloquia pura argentum coctum in catino terrestri purgatum septies. Item: Lucerna est pedibus meis verbum tuum: & lumen semitæ meæ. Testis est Petrus, scribens: Habemus firmissimum sermonem propheticum: cui attendentes rectè facitis veluti lucernæ splendenti in obscuro loco.

ro loco, usq; dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris.

LX. Itaq; in textu adjicitur: Illustrans oculos. Oculos intellige non corporis, sed mentis. Nam ut lumine Solis oculi corporis: sic mens & intellectus lumine salutari Evangelii illustrantur. unde illud Apostoli: Deus qui dixit, ut e tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Iesu Christi. 2. Cor. 4.

LXI. Valeant ergo Pontificiorum nugæ extrema cum blasphemia conjunctæ, quibus dictitant, traditionum suarum venditandarum causâ, & Laicorum, quos vocant, lectione sacrarum litterarum prohibendi gratiâ, sacram Scripturam obscuram, ambagibus involutam, non a seipsa, sed ab Ecclesia explicari posse & debere.

LXII. Quæ enim ex se & in se obscurum, ac non potiùs clarum ac perspicuum est, quod cum luce $\mu\lambda\alpha\upsilon\gamma\epsilon\iota$, quod Lucifero et diei a Sole illustrato comparatur, & cui oculos illuminandi vis & efficacia tribuitur?

LXIII. Sunt ergo Pontificij de grege istorum, quos Deus ita reprehendit: Væ dicentibus malum bonum & bonum malum: qui ponunt tenebras lucem, &c. Aut potiùs de grege istorum: Si rectum est Evangelium nostrum, rectum est iis qui pereunt. In quibus Deus hujus seculi excæcavit mentes, nempe infidelibus, ne irradiet eos lux Evangelii. Ies. 5.
2. Cor. 4.

LXIV. Quinta, quæ in textu sequitur, pagina hoc comprehendit axioma prioris parte ver. 9. Timor Domini sincerus permanens in seculum. Ies. 8. v. 20
2. Cor. 4.
v. 34

LXV. Voce יִרְאָה jireah Timoris Hebræi nunc doctrinam colendi Dei, nunc cultum ipsum & maxime spiritualem per me-

onymiam effecti intelligunt: cum ex doctrina Evangelica & cultu ad ejus præscriptum conformato filialis ille Dei timor existat.

LXVI. Additur autem huic timori vox יהוה Jehovah: quæ hoc loco non ut in superioribus solum causam efficientem principem, sed etiam subjectum denotat. Iehova siquidē causa est istius timoris si ve eam doctrinā, si ve cultū intelligamus, efficiens principalis. De doctrina dicitur. Omnis scriptura θεόπρεσβυτος. De cultu nobilis est locus: Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite. Deus enim is est, qui efficit in vobis, & ut velitis, & ut efficiatis pro gratuita sua benevolentia.

1. Tim. 3.
v. 15
Phil. 2.
v. 12, 13

LXVII. Idem Iehova est timoris hujus subjectum: cum præter ipsum religioso hoc timore, seu cultu nemo sit honorandus: juxta dicta: Iehovam exercituum sanctificabitis: & ipse sit timor vester, & pavor vester. Item: Dominū Deum tuum adorabis & ei soli servies.

Iesā. 8. v.
13
Matth. 4.
v. 10

LXVIII. Cultus itaq; religiosus soli Iehovæ tanquam vni & proprio ejus objecto, tribui præstariq; debet: nec ullus Pontificiorum distinctioni futili λατρείας & δουλίας locus relinquendus est.

Rom. 8
1. Joh. 5

LXIX. Caterum cum in scriptura dicitur, Nos spiritum timoris non accepisse: Et in charitate timorem nō esse, sed forās pelli: Sermo st de servili timore & terrore à lege incusso: quem Apostolus λύπην τῆς κόσμου, dolorem mundi vocat, qui mortem efficiat. Filialis autem de quo hic propheta concionatur, est in fidelibus: quem Apostolus idem λύπην καὶ θεὸν dolorem secundum Deum appellat, utpote quæ μετανοίαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον efficiat.

2. Cor. 7.
v. 10

LXX. De hoc timore enunciatur: Sincerus. Quod adjunctū idē est cum superiore יהוה Barah. Etenim יהוה Thehorah est a

est אֶתְהַרְתֵּהוּ Thaher, quod est à maculis & scoris purgare, ac pu-
rū purum reddere: quomodo vestimenta, corpora, & metalla pur-
gari consueverunt. Facit ergo hoc, ut & superius, ad scripturæ
claritatem & σαφλῶς εἰς demonstrandam. De qua Psaltes alio Psal. 119.
v. 20
in loco: Purus est sermo tuus vehementer.

LXXI. Cui subicitur: Permanēs in seculum. Quod cūm
propriē, tum etiam metonymicē de doctrina Evangelii accipi
potest.

LXXII. Illa namq̄ utpote res pura, sincera, ab omni con-
cretione partium dissentientium aliena, æterna est, nec ulli interi-
tui obnoxia, unde hæc & alia: In æternum, Iehova, verbum Psal. 119.
v. 89. & 325
Iesa. 40.
v. 6.
tuum permanet in cœlis. Item: Testimonia tua fundasti
in æternum. Item: Verbum Domini manet in æternum.
Item: Cœlum & terra præteribunt: verba autem mea Luc. 21.
v. 33.
nequaquam præteribunt.

LXXIII. Quin & hæc doctrina æterna dicitur, quod ater-
nos facit, æternaq̄ vitæ participes, quotquot ei credunt, & atten-
dunt, ex eaq̄ regenerantur. Quod hinc patet: Quisquis biberit Io. 4. v. 14
ex aqua illa, quam ego ei dabo, nō sitiet in æternum: sed Iohan. 5.
v. 24.
aqua, quam ei dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vi-
tam æternam. Item: qui sermonem meum audit, & cre-
dit ei, qui misit me, habet vitam æternam. Præclarè ergo In Ies. 40
Hieronymus: Verbū Domini, & qui verbo sociati sunt,
permanent in æternum.

LXXIII. Sequitur ultima pagina: Iudicia Iehovæ ve-
ritas & pariter iusta comperiuntur omnia.

LXXV. Doctrina Evangelica iudicii nomine insignitur
duabus de causis I. quod Deus juxta illam, ut plurimum pronun-
ciat, ac iudicat homines. Qui nō recipit verba mea habet q̄
iudicet ipsum Sermo, quem locutus sum, iudicabit eum Ioh. 11.
in ultimo illo die II. quod Christiani quoq̄, de veritate doctrinæ,
C

deq̄ omnibus actionibus, secundum eandem utpote auream aedifi-
cationis regulam, judicare ac pronunciare debent. unde Psaltes:
Psal. 119. v. 24. Testimonia tua viri consilii mei. Item: Ad legem & ad
Esa. 8. v. 29. testimonium. Item: Scrutamini scripturas. Item: Tota
Ib. 1. v. 40. scriptura θεοπνευστῆ & utilis est πρὸς ἐλεγχον, &c. ut per-
fectus sit homo Dei, &c.

LXXVI. De his verò judiciis enunciatur: Veritas. De
cujus epitheti ratione jam antea satis superq̄ dictum.

LXXVII. Veritati adjicitur: iustificata.

LXXVIII. Doctrina Evangelica justa est primùm in se:
quò facit & illud: Justitia sunt Judicia tua. Iusta deinde ra-
Psal. 119. v. 75. tione subjecti, quòd justitiam per Christum paritã prædicat: unde
Rom. 1. v. 17. dicitur: Iustitia Dei per illud retegitur. Iusta porrò ratione
Rom. 10. v. 6. 17. effectus, quòd justitiam & salutem operatur et affert omnibus cre-
dentibus: unde justitia ex fide appellatur ab Apostolo: fidei-
que justitia, quã justificamur, ex auditu verbi esse ab eodem di-
citur.

LXXIX. Huic justitiae additur: Pariter omnia: Quo si-
gnificatur doctrinam Evangelicam ita veram ac in univèrsam
justam esse, ut eadem bis per omnia sibi consentiat, ex omni parte
respondeat, nec ullo modo sibi contradicat: utpote quæ ab vno eo-
demq̄ ac sibi perpetuò constanti spiritu profecta & dictata, in unũ
eundemq̄ finem tendat, qui est, ut Christo testimonium perhibea-
tur, nempe per nomen ipsius remissionem peccatorum
Aet. 10. v. 43. habere omnes credentes.

LXXX. Pudeat ergo Pontificios, sui Pighii dicere haud
veriti, S. scripturam esse materiam litis, ac plumbeam aedificatio-
nis Lesbiae regulam: Pudeat eosdẽ Jesuitarum, quos nihil pudet,
scripturam cum cereo naso comparare. Nos contra cum Davide
statuamus, eam esse auream aedificandæ Ecclesiæ regulam: cùm
sit.

fit ipsa veritas, ipsa iustitia, ac sibi pulchré *ὁ δὲ πασῶν* con-
sentiens.

LXXXI. Tale ergo est primum volumen libri Scripturæ
de natura, adjunctis & effectis doctrinæ Evangelicæ: sequitur al-
terum, in quo ista omnia è comparatis cū illustrantur tum am-
plificantur, tum etiam confirmantur versu 11. his verbis: Opta-
bilia auro, & quidem obrizo multo: dulciora melle
& favi liquamine.

LXXXII. utraq; comparatio, quorū prior doctrinæ Evan-
gelicæ pretium, posterior ejus jucunditatem commendat, est à mi-
nori, ac resolvenda in hunc modum: Optabile quidē & pretiosum
est cū omne aurum tum verò obrizum, id est, aurum solidum:
item omnium liquorum dulcissimum est mel, maximè verè acoe-
ron: at multò pretiosius ac desideratius multoq; suavius & dulcius
est Evangelium.

LXXXIII. Comparationis apodofin probat David. v. 12.
Nam servus tuus circumspectus redditur in illis: in cu-
stodiendis illis merces multa. Argumentum, ut apparet, du-
ctum est à gemino effecto Evangelii: quorum prius est docere, in-
stituere, monere, illuminare: posterior est fructus seu merces mul-
ta, quæ fideles manet.

LXXXIV. Itaque Evangelium preciosius auro & dulcius
melle: primum, quòd ut illa corpus ornant & suavitate afficiunt:
sic hoc animum salutare sua viq; rerum divinarum cognitione im-
buit, recreat, delectat. Deinde, quòd hanc salutarem cognitionem
sequitur merces non pauca aut parùm durans, sed magna, multa,
æterna.

LXXXV. Per servum autem Dei synecdochicè intelli-
mus omnes Dei servos: de quibus dicitur: In servos meos & in
ancillas meas effundā de spiritu meo, & prophetabunt.
Servi isti sunt electi, fideles, Evangelio obediētes. Nam hisce so-
C 2

Joel. 2.

v. 19.

Act. 2. v. 18

Matth. 13.

v. 11.

1. Cor. 2.

v. 16.

lis datum est nosse mysteria regni, hisce solis Evange-
lium est odor vitæ ad vitam.

Luc 8.
v. 15

LXXXVI. Et hi dicuntur custodire judicia Dei, quatenus
ea fide amplectuntur, animo custodiunt, eisq; licet imperfecte & in-
choatiue in hac vita, morem gerunt per patientiam. De quibus
est illud: In corde honesto ac bono auditum sermonem re-
tinent & fructum adferunt per tolerantiam.

Rom 6.
v. 23.
1. Cor. 9.
v. 24.
2. Tim. 2.
v. 5.

LXXXVII. Deniq; vox חֶקֶב Hhekeb proprie significat o-
mne id, quod finem operis aut studii ceu fructus consequitur. Hinc
quod merces laborem exantlatum consequitur, accipitur vox pro
mercede: ac tribuitur vitæ æternæ, quæ proprie loquendo est $\chi\epsilon\acute{\iota}\nu\alpha$
πισυα Dei, per metaphoram, ad significandum gratuitum istud do-
num, non obtingere aut conferri, nisi iis qui prius in vinea Do-
mini laborarunt ac in curriculo pietatis sese exercuerunt: quo-
modo merces naturâ laborem non antecedit, sed sequitur. Ha-
cenus de libro scripturæ.

LXXXVIII. Hac autem, quæ Propheta deprædicat au-
gusta planeq; divina effecta Evangelio non tribuuntur, nisi per
metonymiam effecti: quæ videlicet effecta, quæ causæ efficienti
principali proprie conveniunt, instrumentis ac mediis adscribun-
tur: adeo ut Evangelii prædicatio, Sacramentorum usurpatione di-
catur animum convertere, illuminare sapientia cælesti imbuere,
exhilarare, &c. quod causæ efficiens principalis, eâ tanquam in-
strumento & medio, ad illa effecta producenda utatur.

Rom. 1.
v. 6.
1. Cor. 4.

LXXXIX. Valeat ergo Enthusiastarum delirium, quo
prædicationem Evangelii literæ mortuæ conferunt, inanem ver-
borum strepitum vocitare eiq; nomen instrumenti denegare nihil
dubitant: contra ea, quæ Psalmus hic de ea prædicat: et cõtra hæc:
Evangelium est potentia Dei ad salutem, &c. Item: Per
Evangelium vos genui. Item: Fides ex auditu, auditus
per verbum Dei. Valeat etiam audax ubiquitariorum com-
mentum

mentum, quo nuper admodum, quasi e tripode Pontificio, pronun-
ciare ceperunt, virtutem causse efficientis principalis propriam
instrumento huic ita indi, ut virtute viq, insita non secus opere-
tur, ac panis nutrit, vinum potat, medicamenta sanant, valetudi-
nemq, conservant. Contra id: ut virtutis ejus præstantia sit 2. Cor. 4.
v. 7.
Dei, & non ex nobis.

XC. Deus autem generatim loquendo est propria & princi-
palis horum effectorum causa efficiens: juxta dicta: Fac me con-
verti, & convertar. Item: Deus splenduit in cordibus Ierem. 31.
v. 18.
2. Cor. 4.
v. 6.
nostris.

XC I. Que tamen a Deo simpliciter & absolute conside-
rato, in nos, cum iniquitates nostræ disternent in-
ternos & Deum, nisi Medio & Mediatore intercedente, nos-
que cum Deo copulante & reconciliante, derivari & confer-
ri non possunt. Iesa. 59.
v. 2.

XC II. Medius autem est proprie loquendo, qui utrique
parti dissidenti æque conjunctus est: Mediator vero, qui inter
partes dissidentes ad eas reconciliandas intercedit.

XC III. Talis est Dominus noster Iesus Christus. Is nam-
que cum sit Emanuel & Deus in carne manifestatus, & Iesa. 7.
v. 14.
Hebr. 2.
v. 14.
Filius Dei carnis & sanguinis particeps factus, Medius
est inter Deum & homines: Deo respectu Deitatis $\delta\mu\sigma\theta\upsilon\sigma\iota$, &
hominibus respectu humanitatis assumpta. Idem Mediator est,
utpote qui sacrificio corporis & sanguinis peccata ex-
piavit nostra, Deum reconciliavit, & Spiritum sanctum, 1. Ioh. 1.
v. 7.
Heb. 1. v. 3.
Rom. 5.
v. 1.
Rom. 8.
per quem animum convertit, docet, exhilarat, promeruit, qui
etiãnum ad dextram Dei erectus pro nobis depreca-
tur.

XC IV. ut verò hic Mediator duabus naturis constat, sic
quoq, secundum utramque naturam officio suo defungitur: adeò ut
ex duabus hujus Mediatoris distinctis actionibus, divina nem-

pe & humana, unum ἀποτέλεσμα seu opus redemptionis nostrae,
& reconciliationis cum Deo existat. Repudiemus igitur
Pontificiorum figmentum, quo Christum secundum
humanā naturam tantum officium Me-
diatoris obire & exequi
somniaut.

F I N I S.

99 A 6906

ULB Halle 3
002 633 388




52


6

VD17

Rehe 0







Farbkarte #13

B.I.G.



36

ripturæ,
DISPVTA.
O XIX. IN QVA
CRAE NATVRA,
tis, ac proinde de
cognitione
feritur;

ILERO TIGV.
â publica συζητησις
gurina in-
tur:
ente;

TEINBRUCHELIO
logiæ studioso.
Mart.



VRI,
EM VVOLPHIVM.
XCVII.

